

condecenter.¹ Et sic multa alia operatur omnipotens Deus per istos sanctos fratres, cum adhuc hoc habeatur apud ydolatras et Sarracenos. Nam cum ipsi morbo aliquo detinentur, vadunt et accipiunt de terra illa in qua fuerunt imperfecti,² illam abluentes. Quæ cum sit ipsa lota, eam bibunt, statimque ab infirmitatibus suis totaliter liberantur.³

16. *Quomodo habeatur Piper ; De regno Minibar.*

Ut autem sciamus quomodo habeatur piper, sciendum est quod in imperio⁴ quodam ad quod applicui nomine Mimbar⁵ nascitur ipsum piper ; et non in aliqua parte mundi nascitur nisi ibi.⁶ Nemus enim in quo nascitur ipsum piper continet bene in se xviii dietas. Et in ipso nemore sunt duæ civitates, una nomine Flandrina,⁷ altera vero Zinglin.⁸ In ista Flandrina habitantium aliqui sunt Judæi, aliqui vero Christiani. Inter has duas civitates⁹ bellum intestinum semper habetur, ita tamen quod Christiani semper superant et vincunt Judæos. In hac contrata habetur piper per hunc modum. Nam primo nascitur in foliis quasi heleræe,¹⁰ quæ folia juxta magnas arbores plantantur sicut hic nostræ ponuntur vites ; hæc folia producant fructum ut uvarum racemi producantur. In tanta autem producant quantitate quod quasi videntur frangi. Cum autem ipsum erit maturum viridis est coloris. Et sic vindemiatur ut hic vindemiantur uvæ, ponendo¹¹ illud in solem ut desiccet, quod cum desiccatum est ipsum in vasis collocatur.¹² In hoc etiam nemore sunt flumina in quibus sunt multæ malæ cocoldrigæ¹³ (scilicet multi mali serpentes).¹⁴ A capite nemoris istius versus meridiem civitas quædam habetur nomine Polumbum¹⁵ in qua nascitur melius zinziber quod nascatur in mundo. Tot et tanta sunt mercimonia in ista civitate quod multis incredible videtur.

17. *De moribus Indorum de Polumbo.*

Omnes in hac contrata adorant bovem pro deo suo, ipsum dicentes esse quasi sanctum, quem sex annis faciunt laborare et in septimo positus est in communi.¹⁶ Hunc autem ritum in se continent et observant, qui est abhominabile.¹⁷ Nam quolibet mane accipiunt duo bacilia de auro

¹ *Hak.* Ubi in pace requiescunt.

² *For* interfecti.

³ *Boll.* præstante Domino nostro Jesu Christo.

⁴ *Far.* has absurdly in pipere.

⁵ *Ven.* Minibar ; *Hak.* Do ; *Far.* Minibarum ; *Mus.* Mimbar ; *Boll.* Ezaminibar ; *Ram.* Muubar.

⁶ *Ven.* Nusquam alibi ; *Hak.* in nulla parte mundi tantum quantum ibi ; *Far.* non...nisi ibi.

⁷ *Ram.* Alandrina.

⁸ *Hak.* Cyncilim ; *Far.* Flandriam...Canglin ; *Mus.* Zingelyn ; *Marc.* Gingilin ; *Ram.* Ziniglin.

⁹ *Better Hak.* inter quos.

¹⁰ *Ven.* ederæ ; *Far.* oleri.

¹¹ *Mus.* et grana ponuntur ad.

¹² Et sic piper nascitur et custoditur.

¹³ *Ven.* flumina habentia...cochodrillos ; *Hak.* and *Far.* crocodili ; *Mus.* cocodrilli.

¹⁴ *Mus.* Et sunt etiam in isto nemore multi alii serpentes quos homines per stupam et paleas comburunt, et sic ad colligendum piper secure accedunt. *Hak.* has the like.

¹⁵ *Hak.* et *Mus.* Polumbum, and the former says nothing of the ginger.

¹⁶ *Mus.* ab omni opere ipsum faciunt quiescere in loco solempni et communi ipsum ponentes et dicentes hunc ipsum animal esse sanctum. So *Hak.*

¹⁷ *Ven.* simply talem autem consuetudinem et modum observant.